

De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodiêre

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10259

De annunciatione sanctissimæ Mariæ, Sermo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)

simi etiam & eruditissimi viri quandoquè dormitent) fuisse enunciata. Nam si maiorum diligentia Euangelicos codices perpe dissent, nequaquam Iacobum minorem fratrem Domini, filium Ioseph, sed Alphai proculdubio afferuissent: sicut & Iacobum maiorem, Zeb*dæi* filium, & Petrum Ion*æ* vel Iohannis, adstruere compulsi sunt.

Habes ergo meam, bone lector, hac de re sententia: quam & te quoquè, si pius es, si cafficatis & sanctimoniam amator, si beati Ioseph deuotus filius existis, securum non ambigo. Plura autem, si Verona in Episcopatu meo fuisset, super hoc forsitan collegissem, vbi & librorum mihi copia suppeditat, & adsunt nonnullarū Epistolarum schedæ utrō citroque missarum, dum recolenda memoria Iohannes Cochlaeus vir doctissimus, & de Christiana republica optimè meritus, adhuc nobiscum in humanis ageret. Nā memini hac de re inter nos multa & dicta & constituta fuisse. Hęc verò, quę per me nūc apud nobilissimū Poloniae regnū Pontificium Legatum agentē, & librīs fore carentem, atq; assiduè huc illucque obequitantem, ac negotijs difficillimis implicatum, quasi ex memoria dici potuerunt, tu & benignè suscipito, & æqui bonique consulito. Vale.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, in sanctissime Deigenitricis Annunciationem
Oratio. Est in Metaphraſte.

Gen. 3.

Gabriel cur
missus ad
Virginem.

Rursus latitiae nūcij, rursus libertatis inidia, rursus reuocatio, rursus reditus, rursus gaudia, rursus à seruitute liberatio. Angelus cum Virgine loquitur, quoniam serpēs cum muliere locutus fuerat. Sexto, inquit, mense missus est angelus Gabriel à Deo ad Virginem despontatam viro. Missus est Gabriel, ut totius mundi salutem nunciaret. Missus est Gabriel, ut scriptum reuocationis Adam afferret. Missus est Gabriel ad Virginem, ut mulieris dedecus in honorē conuerteret. Missus est Gabriel, ut puro sphōspo thalamum pararet. Missus est Gabriel, ut inter creaturam & creatorem spōfalia celebraret. Missus est Gabriel ad animatum palatium regis angelorum. Missus est Gabriel ad Virginem despontatam quidem Ioseph, sed seruatam filio Dei. Missus est seruus incorporeus ad Virginem immaculatam. Missus est à peccato integer ad corruptionis expertem. Missus est lucernæ splendor, qui iustitiae folem nunciaret. Missus est nitor aurora, qui diei lumen præcurreret. Missus est Gabriel, ut ostenderet eum, qui est in sinu Patris, in matris etiam vlnis gestari. Missus est Gabriel, ut indicaret, qui est in solio, in spelunca etiam iacere. Missus est miles, qui Imperatoris mysterium promulgaret. Mysterium, quod fide cognoscitur, & curiositate non inuenitur. Mysterium adorandum, non humana prudentia ponderandum. Mysterium diuinis, non humanis rationibus explicandum.

Sextus mē-
sis.
Luc. 1.

Esa. 7.

Esa. 29.

Causē hoc
lege, nam

In mense sexto missus est Gabriel ad Virginem. Quem sextum mensem dicit? Quem? Ex quo nimirū Elisabeth bonū accepit nuncium, ex quo Iohannem concepit. Vnde id planum fit? Ipse met Angelus Virginem alloquens, sic interpretatur: Eccē Elisabeth, inquit, cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus illi, quę vocatur steriles. Mensis sexto scilicet, conceptionis Iohannis. Oportebat enim, ut miles anteiret, consentaneum erat, ut minister antecederet: æquum erat, vt index Domini presentiam significaret. Mensis sexto missus est angelus ad Virginem despontatam viro. Desponsatam, non autem coniunctam. Desponsatam quidem, sed seruatam. Cur desponsatam? Nē clerius latro mysterium intelligeret. Nam per virginem quidem regem esse venturū improbus non ignorabat, quippe qui Esaie ipse quoquè verba illa audierat. Eccē virgo in utero habebit, & pariet filium. Itaque singulas virgines obseruabat, ut vbi mysterium impleri animaduerteret, infamiam pararet. Idecō Dominus per despontatam venit. Quia enim despontata fuerat, deinceps in manū sponsi tradenda erat. Mensis sexto missus est Gabriel ad Virginem despontatam viro, cui nomen erat Ioseph. Audi quid de hoc viro & de Virgine dicat Propheta: Dabitur hic liber obsignatus viro scienti literas. Id est, Virgo planè immaculata. A quo dabitur? A sacerdotibus utique. Cuinā viro? Fabro Ioseph. * Hic Ioseph, frater, claro priūs iunctus matrimonio suscepserat liberos. post autem, vxore repudiata, in castitate vixit, & liberos in disciplina & timore Domini

ORATIO IN ANNUNCIATIONEM B. MARIAE &c.

401.

Domini edocuit. Cum enim Paulus Apostolus ad Euangelij promulgationem proficeretur, & vinum ex filii eius reperisset. Alium, inquit, Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini, non ex Maria, sed ex Ioseph genitum.

Cumigitur sacerdotes casto Ioseph Virginem despondissent, eam illi commendarunt, nuptiarum tempus expectantes. Verum eam ipse suscipiens, integrum erat conseruatorus. Id quod multò antè Propheta pronunciārat? Dabitur, inquietus, liber obsignatus, viro scienti literas, hoc est, matrimonio coniuncto, & dicit: Non possum legere. Cur non potes legere Ioseph? Non possum, inquit, legere, quia liber est obsignatus. Cui servatur? Rerum omnium procreatori pro domicilio. Sed ad propositum reuertamur. Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem. Qui profecto eiusmodi a Deo mādata accepit? Ad huc, Angelus, minister esto mysterij grauis & reconditi. Miraculo inservi. Misericordia mea commotus, ad requirendum Adam, qui ab errauit, descendere festino. Peccatum prostravit eum, qui ad imaginem meam factus est? corrupit opus manuum mearum? infecit decus à me confectum. Lupus deuorat alunum meum. Exnat incola Paradisi. Vitæ lignum à flammeo gladio custoditur. Clausis est locus deliciarum? Errantis me miseret. Hostem capi volo. Placet, ut virtutes omnes, quæ in cælo sunt, mysterium hoc lateat, & tibi soli sit manifestum. Vade ergo ad Mariam Virginem. Vade ad animatam ciuitatem, de qua loquitur Propheta. Gloriosa, inquiens, de te dicta sunt, Gen. 3. Psal. 86. ciuitas Dei. Vade ad Paradisum meam ratione prædicam. Vade ad portæ Orientalem. Vade ad habitaculum Verbo meo dignum. Vade ad alterum cælum, quod est in terra. Abi ad nebulam leuem, & præsentia meæ illi nuncia integritatem. Abi ad sanctuarium mihi paratum. Abi ad thalamum diuinæ humanitatis meæ. Abi ad purum cubiculum ortus mei secundum carnem. Loquere in auribus arcæ meæ ratione præditæ, ut paret mihi auditus ingressum. Caue offendas aut turbes animum Virginis. Templum illud diuinum modestè adi. Prima tua vox illi gaudium afferat. Dic; Ave gratia plena? ut ego miserear afflita Euæ.

Audiuit hæc Angelus, & secum, ut par erat, hæc cogitabat. Noua res hæc est, cuius intelligentia nullis verbis explicari potest. Quem metuunt Cherubin, quem Seraphin intueri non possunt, quem omnes Virtutes Angelicæ compræhendere nequeunt, speciali quodam modo nunciatur cum puella Virgine conuersatus, & propria eius personæ præsentia significatur, immò vero ingressus per auditū ei promittitur. Qui Euam condemnauit, eius filiam glorificare tantoper festinat? Ait enim: Ut paret mihi auditus ingressum. Nunquid potest Virginis vterus cum capere, qui comprehendendi non potest? Verè mysterium magnum & venerandum. Sic Angelo cogitanti. Quid, inquit Dominus, turbaris, ô Gabriel, nouitate rei? Nónne paulo antè missus es à me ad Zacharium sacerdotem? Nónne illi Iohannis ortum nunciasti? Nónne incredulo sacerdoti pœnam intulisti? Nónne senem taciturnitate mulctasti? Nónne quæ tu pronunciasti, ego rata habui & comprobavi? Nónne nuncium tuum res ipsa consecuta est? Nónne sterilis concepit? vterus paruit? sterilitatis morbus discessit? naturæ fugit inertia? Quid est, quod ego non possum efficere? Cur igitur dubitas? Tūc Angelus. Naturæ, inquit, errores, Domine, corrigerem, morborum nebulam dissoluere, membra mortua ad vitalem vim revocare, naturæ præcipere, ut liberos gignat, à certis membris sterilitatē remouere, fœniscensem stipulam ad viridem formam reducere, terram infœcundam statim efficere manipulorum matrem, solitum est tua virtutis opus. Testis est Sara, tum Rebecca, post Gen. 21. autem Anna? quæ cùm graui sterilitatis morbo laborarent, abs te liberata sunt. Virginem vero sine viri congressu parere, superat naturæ leges, & præsentiam tuam in puella denunciat, ut quem cæli terræque termini non capiunt, Virginis vterus compræhendat. Quomodo, inquit Dominus, me tabernaculum Abrahæ potuit continere? Quoniam, inquit Angelus, hospitalitatis pelagus habebat. Verum illic, ô Domine, te confi- cūm Abrahæ præbūsti in ostio tabernaculi, & pertransisti, qui omnia comples. Quo- Gen. 18. modo autem feret Maria diuinitatis ignem? Solium tuum ardet splendore illustratum, & virgo te ferre poterit, ut non comburatur? Si lesit, inquit Dominus, rubum ignis in Exod. 3. solitudine, laetet omnino Mariam quoquæ præsentia mea? sin ignis ille, qui diuini ignis mei presentiam significabat, rubum potius irrigauit, quam combussit, quid de veritate dices, non in igne flamma, sed in pluia specie descendente?

Tūc Angelus Dei iussa facessens, Virginem adiit, & clara voce. Ave, inquit, gratia plena? Dominus tecum. Non est amplius diabolus contra te. Vbi enim prius hostis ille vulnus infixit, illic medicus adhibet medicamentum. Vnde mors ingressus principium

MARTIVS.

402

Epithera
illustria S.
Marie.

Ephes. 2.

pium habuit; inde vita sibi aditum patescit. Per mulierem mala fluxerunt, per mulierem emanant bona. Aue, gratia plena. Ne te pudeat, quod mulier causa damnationis extiterit. Tu enim Indicis & redemptoris mater existes. Aue, gratia plena, quae mundi paries Saluatorem. Aue, gratia plena, genitrix vitae, quae mortem delebit. Aue, animatum Dei templum. Aue, caeli terraque pariter domicilium. Aue naturae illius, quae comprehendendi non potest, amplissimum habitaculum. Per hanc adest, charissimi, egrotantibus medicus, in tenebris considentibus illuxit iustitiae sol, tempestate iactatis factus ancora, portusque tutissimus. Deo inuisis & inimicis reconciliatio, captiuis redempcio, in bello versantibus munitissimum propugnaculum. Ille nimurum, qui est pax nostra. Qua quidem pace vtinam detur nobis frui, per gratiam eiusdem Dei nostri Iesu Christi. Cui gloria & imperium cum Patre & sancto Spiritu, in secula seculorum. Amen.

VITA S. HERMELANDI NOVIOMAGENSIS,

PRIMI ABBATIS ANTRENSIS, GRAVITER ET BONA

fide conscripta, licet auctor suum nomen retinuerit. Sed quia sermone

parum grato Iesus est, quisquis ille fuit, aliquanto Latinus. ple-

runque etiam paraphrasticos, interdum adstricti

eam expressit F. Laurentius Surius.

PROLOGVS.



Vitiae historiarum faciarum.

Hinc apparet fides huius historie.

Acrosancta mater Ecclesia excellentium Patrum, quos diuinæ gratiæ fratres auxilio, ex antiquo illo serpente palmarum retulisse latatur, & post huius vitæ emensa curricula incunscriptæ Diuinitatis luce incoparabili in omnem æternitatem fruitorum non ambigit, res præclaræ gestas non verborum phaleris, comptaque dictiōnis lenocinijs, quæ non multum ab adulazione abhorrende videntur, sed simplici narrationis serie ad posterorum notitiam transmittendas consulte quidem instituit atque decreuit. Nam cum illi iam ad celos translati, sub hominum adspectu non cadant, lectione & recitatione eorum, quæ de illis conscripta sunt, quasi humanis obtutibus representari videntur. idque ut fortia illorum facta & præclara facinora dum mortales imitanda pro viribus suscipiant, virtutibus augentur: aut certe dum se ad illorum excellentiam pertingere non posse conspiciunt, sibi ipsi ex vera animi humilitate vilescant. Atque hinc sanè perspicuum fit omnibus, qui recte sapiunt, eos, qui pia animi affectione ducti, sanctorum hominum vitas studiosè literis commendant, præmio dignos: contrà vero eos, qui cum possint, siue socordia siue incuria id negligunt, à culpa abesse non posse. Quod cum multum diuque apud me cogitasse, fratres quoque me magnoper obsecrarent, constitui quidem beati viri Hermelandi (qui ab Germania oris ad nos accedens, tanquam alter quidam. Benedictus fulsis virtutibus) res gestas, quas partim visu, partim relatione fratrū didici, in scripta referre: sed duo se mihi obieccebant impedimenta: nè aut temeritatis arguerer, si rudi stylo id attenter, & nulla ferè eruditione præditus, tanti patris actus incödit sermone digererem: aut improbus etiam & impudens non immerito viderer, si per deuia quæque erraticus viator incedens, viri sanctissimi, qui a recto itinere nusquam deflexit, vitam alijs vellei imitandam proponere, quam ego minimè imitarer. Hoc ego gemino timore aliquandiū retardatus, tanquam humili prostratus, propemodū inerti meo ocio dēdere mihi visus sum: at tandem fratru precibus pulsus, opus, quod iamdiū subterfugere deliberaueram, sancta fratres obedientia & misericordia præpotentis Dei, agressus sum, & que ipse donaret, stylo exaranda suscepit, obnoxie rogans eos omnes, qui hanc lucubratiunculam legere non dedignabuntur, nè ex oratione impolita sanctissimi patris gesta metiantur: sed in suis precibus memores sint opusculi huius inepti authoris, ut a pio iudice peccatorum veniam & beatitudinis coronam consequatur, & ipsi pro precibus benignè fusis, à Christo vitam obtineant sempiternam.

VITAE